

**X**

ut in ore eorum om  
nia  
in  
nomen alle  
luum  
quoniam alle  
luum

pleni  
sunt omnes  
de





ov - nicht im A

10

U. q. 77, 9





I. N. J.

# EMANCIPATIO-

## NEM LIBERORUM,

Consensu Magnifici atqve Nobilissimi Jctorum  
Ordinis in Illustri Academia Patriâ,

SUB PRÆSIDIO PARENTIS

# FRANCISCI ROMANI,

J. U. D. & P. P.

Publico Eruditorum subjiciet  
examine

*d. 4. Novembr. Anni currentis 1658.*  
*loco horisq; solitis,*

# PAULUS FRANCISCUS ROMANUS,

A. & R.

---

LIPSIÆ, *Mons. Eschel.*  
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.



EMILIO

...

...

...

nus.







# JESU FAVENTE!

## PRÆLOQVIUM.



*Vanquam obsoleta potissimum sint ea, quæ olim circa Emancipationem observabantur, parumq̃ nostris temporibus utilitatis habeant, & hinc in naturam ejus inquirere, otiosum videri possit; tamen cum, teste Seneca libr. 6. de Benef. cap. 1. etiam quod discere supervacuum est, profit cognoscere; & insuper Emancipatio sui quoddam instar apud nos reperiat, operam planè me perditurum minimè gentium existimavi, si eam præsentì huic exercitationi destinarem, quam muneri mei, hæctenus gesti, volui esse interpretem. Inficias equidem hæc eo, majoris usus materiam à me eligi potuisse, illudq̃ ipsum probè dudum prospiciebam, ne tamen & ea altioris indaginis esset, insimul verebar. Stipendia quippe non ita pridem in hæc palæstrâ mereor, adeoq̃ æqua humeris meis moles erat præoptanda. Quod si neq̃ huic par satis fuero, Tuum est, B. L. humanitate Tuâ mihi subvenire, neq̃ censoriam severè nimis exercere. Juvenis sum, Juveni ignoscere verum est.*



De modis dissolvendi patriam pōte-  
statem.

1. **Q**uemadmodum nihil adeo firmum est, quin rumpi possit, cunctaq; ab hominibus ligata, solubilia sunt: ita & patria potestas, uti constitui, pari modo etiam certis, in jure determinatis, dissolvi potest modis.

2. Inter istos verò modos non immeritò primum sibi locum vindicat Mors, tum naturalis, tum etiam civilis: Naturalis cum aliàs omnia solvat, *Nov. 22. c. 20.* necessariò & hoc jus patrium dirimit; sive filius, sive pater, sive avus paternus moriatur. Cum autem Filius vel solum habeat patrem, vel etiam avum, ita tantum avo mortuo sui efficitur juris, si in patris recidere potestatem nesciat. *pr. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.* mortuo autem patre, si avi imperio non subest.

3. Civili morte dissolvitur patria potestas. 1. Si quis in insulã ob aliquod maleficiũ deportetur *§. 1. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.* Hęc enim deportatio pro tali morte habetur *arg. l. 1. §. filium 8. ff. de bon. possess. contratab.* Nisi per omnia deportatus in pristinum statum fuerit restitutus *d. §. 1. quod tamen non nisi Principis ex indulgentiã fieri potest,* cum deportatis regulariter spes reditus sit præclusa. Atque in hoc distinguuntur à relegatis, utpote quævis ad certum tantum tempus, vel in perpetuum, locus aliquis interdicitur, ita tamen, ut semper, etiam absqve Principis indulgentiã, possint restitui; ideoqve in iis jus patrium cessare noluit Imperator, uti hoc elucescit, *ex §. relegati 2. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. & ex l. relegati. 4. ff. de interdict. & releg.* Inde etiam hi jus civitatis deportatorum instar *l. inter pœnas. 6. ff. d. t.* non amittunt, nisi simul specialiter ipsorum bona publicentur *l. relegatus 14. §. 1. l. relegatus. 18. eod.* Sed omnia iis jura reservantur, donec redeant. Idem dicas licet de captivis, hi enim, si reversi fuerint, cuncta in jura restituuntur, nunquamq; abfuisse finguntur, ob jus postliminii, *§. si ab hostibus 5. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. l. postliminium. 19. pr. ff. de captiv. & postlim. revers.* E contrario verò si apud hostes mortui fuerint, fictione juris, & quidem ex lege



ge Cornelia, apud hostes nunquam vixisse, sed statim captivita-  
tis tempore mortui fuisse censentur *arg. l. itinere 3. §. 1. ff. de V. S.*  
*l. in omnibus 18. ff. de capt. & postl. revers. 2.* Si quis in metallum,  
quâ pœnæ servus efficitur, damnetur, aut veteribus moribus, be-  
stias objiciebatur. *§. pœnæ servus 3. Inst. quib. mod. jus patr. potest.*  
*solv. ad pugnandum scilicet cum iis:* Nam si ex bestiarum rabie  
salvi evadebant, cum quibus pugnandum ipsis erat, liberi efficie-  
bantur. Hæc procedunt tam in patre, quam in filio, & ob eam  
quidem rationem, quia morti naturali in jure nostro, civilis æqui-  
paratur, idemque tantum non & naturalis in eo operatur. *l. servi-  
tutem 209. ff. de R. J.*

4. Mortem excipit summa patriciatus dignitas, in filium fam.  
collata. *§. filiusfam. 4. Inst. d. t. l. fin. C. de Consul.* Patricius enim  
est quasi Principis Pater, cujus consiliis Princeps sese regendum  
submittit: Atque ita ridiculum foret, Patrem Principis ei subesse,  
qui principali potestati suppositus est. Non enim decens visum  
fuit, hos, quos Imperatores Patrum quasi loco venerantur, esse  
sub alienâ potestate; *juxta Nov. 81. pr.* Et quis patiat, Impera-  
toriam Celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit, ab  
alienâ eximere potestate; Patrem verò posse per Emancipationis  
modum potestatis suæ nexibus filium liberare, uti ipse Imperator  
loqui amat. *in. d. l. ult. & §. filiusfam. 4. Inst. quib. mod. jus patr.*  
*potest. solv.*

5. Hodie juxta *Nov. 81.* aliæ adhuc sunt dignitates, quæ filios-  
fam. à patris potestate eximunt, ex scilicet omnes, quæ liberant à  
curiâ.

6. Denique; Emancipatione quoque patrium dissolvi jus, ex *§.*  
*præterea. 6. Inst. d. t.* patet. De quâ, reliquis modis omisis, solâ im-  
presentiariarum acturi sumus. Nostris DEUS annue cœptis!

## T H E S I S II.

### De Etymologiâ Emancipationis.

I. Emancipationem quasi è mancipio positionem dictam  
credimus, cum scilicet tunc filius exeat è mancipio parentis, quo  
olim continebatur. Eodem modo quo manumissio dicta est,



quasi dimissio è manu herili, cui manumittendus erat subjectus  
*pr. Inst. de libertin.*

2. Uti autem sunt Veteres emancipationis voce non tunc semper, quando juris alicujus potestatisve destructionem erant notaturi, sed & pro datione in mancipium, locisq; quidem penè infinitis: Ita enim Plaut. *in Bacchid. Act. 1. Sc. 1. v. 60.*

- - - - - Nunc ego mulier tibi me emancipo,  
Tuus sum, tibi dedo operam. - - - - -

Suppar exemplum habes apud Horat. *Epod. 9.*

Romanus (eheu posteri negabitis)

Emancipatus fœminæ,

Fert vallum & arma miles, &c.

Item apud *Sveton. in Ottone cap. 4.* ubi ait: Cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter, totum agrum redemit, emancipavitq;: ut jam vix ullus esset, qui non & sentiret, & prædicaret, solum successione imperii dignum. Extant hanc in rem alia Auctorum documenta utiq; innumera, quæ recensere jam non vacat. In sensu tamen juri nostro accommodato, plerumq; & ferè semper, pro dissolutione, non constitutione patriæ potestatis sumitur, *l. cum in adoptivis 10. §. sin autem 2. C. de adoption.*

3. Quemadmodum verò potiore fermè vocabulorum partem interdum largè, modo etiam strictè sumi posse, extra dubitationis aleam positum est; ita & heïc fieri res ipsa declarat, dum latè acceptum Emancipationis vocabulum, pro omni alienatione positum, non uno in loco reperimus. Sic emancipatus fundus Auctoris dicitur. Sic per Emancipationem testamentum factum, & Antiquitas edocet, & ipse Imperator *§. 1. Inst. de testam. ordin.* monet. Ideo scilicet, quia & tunc alienatio aliqua, mediata fictitiâ emptione, intercedebat. Deinde in manumissione usurpatur, uti hoc passim videre est.

4. Strictè sumitur, quando solutionem patriæ potestatis indicat, de quâ, scilicet strictè ita dictâ Emancipatione, nobis in seqq. erit sermo.

THESIS



T H E S I S III.

De Definitione.

1. Progredior nunc ad definitionem Emancipationis, quam talem pono: quod sit actus legitimus, quo pater cum, quem in potestate patriâ habet, potestate suâ liberat.

2. Emancipationem, quod in definitione dicitur, esse actum legitimum, patet *ex l. actus 77. ff. de R. J.* ubi Emancipatio expressè inter actus legitimos numeratur. Neque incongruè id probari posse videtur. *arg. l. necessarium 2. §. deinde 6. ff. de orig. juris.* ubi habetur: Quod, cum ex legibus actiones natæ essent, ne eas quilibet pro suo exerceret libitum, certis solemnitatibus celebrari cæ debuerint, posteaquæ istas, legis actionum nomine venisse: cum itaque omnem quoque Emancipationem sine certis solemnitatibus, in legibus præscriptis, frustra instituas, *juxta l. jubemus. 5. C. de emanc. liber.* non video, cur eam actum legitimum appellare dubites. Id insuper quoque; Jctus intendere videtur *in l. omnes 2. ff. de offic. Proconsul.* dum ibi sequentia refert: Præterea & Proconsul urbem egressus, cum jurisdictione est, & ita etiam apud eum legis actio, manumittendi quæ; tam liberos, quam servos, habet potestatem. Pedibus quoque; quasi in nostram transit sententiam. *gloss. ad pr. ff. de offic. Jurid. & ibi alleg.* Quare omnino legitimus Emancipatio actus rectè audit, licet aliquis dicere velit; cum ejus solemnitates ab Imperatore Justiniano sint sublatae, ideo actum eam legitimum minus accuratè dici: Nam veteres istas scrupulositates sublatas fuisse, non inficiamur, alia tamen solemnia, paulo accuratius excogitata, & in antiquorum locum surrogata, testis est Imperator *in l. fin. C. de emancip. liber.*

3. Porro in definitione dicitur: quod per eam Pater, quem in potestate patriâ habet, potestate suâ liberet. Per hoc rectè distinguimus Emancipationem ab aliis manumissionibus, atque; adeo veram in isto Emancipationis positam esse naturam, omninò existimamus. Cujus assertionis Auctorem, ipsum nos Imperatorem *in l. non nudo 3. C. de emanc. liber. & §. præterea. 6. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solvitur.* nobis habere videmur: ibi enim confirmat, Emancipa-



emancipationis naturam in eo esse sitam, ut pater competentem Judicem adeat, ibiq; liberos à manu, i. e. potestate dimittat.

T H E S I S IV.

De Divisionibus Emancipationis.

1. Emancipationem dividimus in Antiquam, & Novam: *arg. l. pen. & fin. C. de emancip. liber.* Antiqua est, quæ peragebatur antiquis observatis, sive solemnitatibus.
2. Nova est vel Anastasiana, vel Justiniana *arg. d. l. fin. Anastasiana* fit, quando pater rescriptum impetrat à Principe: Justiniana verò apud competentem judicem.
3. Quamquam autem propriè ii tantum, qui habent in potestate patriâ, aliquem emancipare, iiq; qui similiter sunt in potestate, emancipari possint *t. t. C. de emanc. liber. §. præterea. 6. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.* interim tamen negari nequit, eos etiam posse emancipare, qui aliquem in verâ potestate patriâ non habent, uti v. g. in adoptione ab extraneo factâ hoc procedit. *l. cum in adoptione. 10. §. 2. C. de adopt.* ibi certè pater adoptivus nullâ patriâ gaudet potestate, (quamquam ea à nonnullis illi tribuatur) & tamen Emancipandi jus habere dicitur. Parili modo si fœmina, ex Principis indulgentiâ, in solatium liberorum amisorum adoptet, nullum patrium jus sibi acquirit; quin tamen rursus emancipare taliter adoptatum queat, qui dubitet, novi neminem. Hæc autem dicta ideo voluimus, quo ostenderemus, superesse aliam quoq; divisionem Emancipationis, quod scilicet alia sit vera, qualem supra descriptam dedimus, alia nominalis, quam proposita exempla examusim videntur mihi probasse.

T H E S I S V.

De Causâ Efficiente.

1. Nunc causa efficiens nobis perlustranda est, eaq; tum remota, tum proxima: Remota, uti plerorumq; actuum civilium, Jus Civile est: De propinquâ paulò fusius: Videri equidem alicui posset, eam amborum contrahentium consensu absolvi, utpote  
cum



cum in contractibus ille quam maximè spectari soleat, omnem-  
que iis constituat essentiam, uti v. g. in nuptiis fieri videmus,  
quæ contractuum nomine veniunt *l. contractus. 23. ff. de R. 7.* cum  
tamen expressa legis verba, per quæ hæc communis Dd. calculus  
contrarium statuatur, dum *in l. non nudo 3. C. de emanc. liber.* dica-  
tur, non nudo consensu, sed actu solemnè emancipari, non vide-  
mus, nostrum quoque suffragium cur huic sententiæ detrahere  
debeamus, licet contrarium statuatur, Leo *in sua Nov. 25. inf.* Il-  
las enim Novellas probandi exfortes esse, & tantum illustrare,  
nemo ignorat.

2. Hunc consensum quod attinet, is, cum æquè literis ac verbis  
exprimi queat, cur per Epistolam declaratus, non valere debeat,  
haut videmus, cum expressè illud quoque; *l. pen. C. de emancip. liber.*  
confirmet. Cujus occasione quæstio potest moveri, an ille semper  
requiratur in utroque; quod regulariter affirmatur. Et quidè quod  
ad Patres attinet, satis illud patet ex *§. sed et si 8. & §. fin. Inst. quib.  
mod. jus patr. potest. solv. l. si cui 92. ff. de condit. & demonstr. l. nec  
avus 4. C. de Emancip. liber.* Iniquum enim foret, aliquem ab eo  
cogi, qui ei subest: Quamquam, cæterorum more, hæc lex suis  
non destituatur limitationibus. Propterea notanter in dicto *§.  
fin.* voculam penè Imperator addit. Potest namque pater cogi,  
si legitima subsit causa, *arg. l. nonnunquam 32. ff. de adopt. veluti si  
malo contra pietatem filium afficiat l. fin. ff. si à parent. quis ma-  
num. sit.* Item si filiam prostituat *l. si l. enones 12. C. de episc. audi-  
ent. l. lenones 6. C. de spectac.* vel pecuniam acceperit, ut filium e-  
manciparet *l. 1. §. si parens 3. ff. si à parent. quis manum. sit. l. si  
cui 92. ff. de condit. & demonstr.* Filium verò non posse emanci-  
pari invitum, ex eo patet, quod Emancipatio in ejus commo-  
dum sit introducta *arg. l. nec avus 4. & penult. ibiq. glo. & Dd. C.  
de emanc. liber. & arg. l. patri 4. ff. si quis à parent. manum. sit.* Li-  
cet enim illum in potestate habeat pater, tamen ex quo detri-  
mentum filio oriri possit, facere prohibetur. Accedit, quod a-  
ctus voluntariæ sit jurisdictionis *arg. §. fin. Inst. quib. mod. jus  
patr. potest. solv. vid. Ortolph. Fomann. disput. ad Inst. 4. th. 23.  
Baptista in sua summa, verba Emancipatio. fol. 71. & Connan.*

B

lib. 2.



lib. 2. cap. 13. n. 6. & n. 14. & c. Atque adeo Emancipatio omnis violentiæ expers erit. Cum enim sit beneficium *dict. legib.* invito autem id non datur. *l. invito. 69. ff. de R. J.* ideò nec hoc modo potest cogi. Quod tamen etiam limitationem recipit, scilicet sicut ex justâ causâ pater; ita & filius potest emancipari invitus. Uti v. g. ob malos mores. Videatur Socinus *Reg. 118.* si forsitan esset rixosus, ne pater juxta statutum alicujus loci teneretur multam pro eo solvere, ut notant *Br. & comm. Dd. in l. quidam 137. & Jason. in l. utrum 107. ff. de V. O.* imò ex iisdem causis, ex quibus exheredari. *Franciscus Curtius tit. ex quib. caus. feud. amitt. num. 21. Gl. Sandrecht Art. 19. libr. 2.* Quemadmodum etiam pater, si ei aliquid sit relictum, ut emancipet: pari modo & filius, quando sub hâc ei conditione quid relinqvatur, & id propterea in ejus conditionem accepit, cogitur *arg. l. si filius 3. C. de patr. potest. & l. 1. C. de emancip. liber. l. si cui 92. ff. de condit. & demonstrat. & l. 1. §. si parens. 3. ff. si quis. à par. manum. sit.*

3. Infantes autem hîc non attenduntur, cum rectâ ratione, & ita consensu careant: uti & alio modo etiam incapaces suffragii *l. jubemus 5. C. de emancip.*

## T H E S I S VI.

### De Subjecto seu Objecto.

1. Subjectum seu Objectum considerantibus nobis, obvenit distinctio, quod aliud activum, aliud passivum interdum constituatur; quam distinctionem & heic adhibere arridet: Activum subjectum is nobis audire potest, qui filium habet in potestate, veluti pater, & avus paternus *l. jubemus 5. C. de emanc. liber.* Ubi utiq; is est intelligendus, quem admittunt juris regulæ: Furiosus enim, cum ejus nulla sit voluntas, nullus consensus *l. furiosi 40. ff. de R. J. §. 1. 7. quib. non est perm. fac. testam. l. Fulcinius 8. §. adeo autem. 9. ff. quib. ex caus. in possess. eatur. l. si tibi 8. §. unus. 2. ff. de opt. leg. l. si cum dotem 22. §. si maritus 7. ff. sol.*



*sol. matrim.* ad actum quoque illum, qui vel maxime consensu perficitur, celebrandum, inutilis planissime est.

2. Passivum subjectum sunt ii, qui emancipari possunt: sive illi, qui patrio subsunt imperio: sint sive filii, sive filiae, nepotes, neptes ex filio, caeterique per masculini sexus personas continua generis linea sibi conjuncti, licet sint peregrinantes vel absentes *d. l. penult. C. de emanc. liber.* Etiam si furiosi sint, cum & hi liberorum loco habeantur, & nullibi prohibiti in jure reperiantur. Ubi tamen requisitum summe necessarium esse, ut filio sit ex usu, utpote quod hoc absente Emancipatio vana sit, ex supra dictis perspectu erit facillimum.

## THESIS VII.

### De Forma.

1. Excipit subjectum Forma, quae fortassis patere satis poterit ex illis, quae circa divisiones sunt prolata: interim tamen, cum ordinis ratio eam plane hic silentio involvere vetet, adhuc quaedam de ea admonenda sunt: Pro triplici igitur Emancipatione, triplex quoque forma; Priscæ illius, & antiquæ forma tota in solemnitatibus solitis consistebat, quæ magnam partem ex servorum manumissionibus erant receptæ. I. scilicet cum servorum instar venundandi atque manumittendi essent, adumbratâ venditionis specie, fiduciario patri (qui à fiducia, quam interponebat de filio accepto manumittendo ita dicebatur. *Donnell. lib. 2. cap. 24.*) mancipabantur, adhibitis quinque testibus, & alio, qui libram æneam tenens, ita dicebat: Hunc hominem ego, ex jure Quiritum, meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc ære, æneâque librâ. Deinde ære percutiebat libram, idque æs dabat ei, à quo mancipium accipiebat, quasi pretii loco, qui dicebat: Hunc filium tibi mancipo. Post trinam ejusmodi venditionem, liberi fiebant à patre, uti dicitur in *LL. 12. tabul.* Si pater filium ter venundarit, filius à patre liber esto. *vid. Ulp. tit. 10. Ex*



10. Ex legibus insuper regis contingebat, ut colaphis quoque cederentur; *Nov. 81. in pr. & l. fin. C. de emancip. liber.* ut etiam in servorum manumissionibus factum fertur, vid. *Godofr. in not. ad l. fin. C. de emancip. liber.* Insuper capite, aliove membro prehensi, manumittebantur, additâ voce: Hunc hominem liberum esse volo. Ejusmodi verò manumissiones etiam in Emancipationibus celebratas fuisse, testis est Imperator *in d. §. præterea. 6. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solvitur.* Præterea, trinam mancipationem in filiisfam. observatam, cæteros autem liberos tam masculini, quam fœminini sexus, una mancipatione atque manumissione liberos fuisse factos, ait *Ulp. d. l.*

2. Has tamen solemnitates, *in l. fin. C. de emanc. liber.* ut ineptas, una cum ipsâ Emancipatione antiqua, non immerito rejecit Justinianus, præcipiendo, duas tantum reliquas species observandas. Ille quippe veritus est, ne ista sanioribus, nostro forsân tempore, risum deberet, utpote dubio procul has tales nugas averfurus.

3. Mediæ, ut ita dicam, Emancipationis forma erat Rescriptum Principis *l. penult. C. de emanc. liber. §. præterea. 6. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.* Sacrum enim Oraculum, uti ibi dicitur, Emancipationi plenissimum robur, atque adeo ipsum esse ei dans, nihil aliud, quam rescriptum Principis est. Hoc sacrum Oraculum, quoties Emancipatio peragenda erat, debebat prius impetrari. Verùm cum impetratio hæc rescripti, & difficultati, & incommodo non uno esset conjuncta, placuit Justiniano, hic quoque subvenire subditis suis, illisque concedere, ut difficultate cunctâ remotâ, recta via ad competentes Judices, vel Magistratus, parentes intrare, & filios suos, vel filias, vel nepotes, ac deinceps, à suâ manu dimittere possent. Judicum autem quando mentio hic facta, nolim quis intelligat Pedaneos Judices, si ve qui à Magistratibus causis privatis cognoscendis dabantur, apud quos lege agi non potuisse, plusquam manifestum est.

#### THESIS VIII.

#### De Fine.

Finis, qui movit Romanos ad Emancipationem introducendam,



cendam, non unus videtur fuisse: Aliquando potuit esse odium liberorum, aliquando eorundem favor; veluti, si aut dure habitati, aut nefariis sceleribus affecti à Parentibus fuerint. Quid si dicamus, fuisse simul & hunc finem, ut familiis augetur civitas: Expedi enim Reipubl. quam plurimas esse familias; augeri autem per Emancipationem familias, docemur *arg. l. pronuntiatio 195. §. familia 2. ff. de V. S.*

### T H E S I S IX.

## De Effectibus Emancipationis.

1. Effectus nunc veniunt considerandi, qui duplici respectu habito, scilicet vel ad patrem, vel ad filium, perpendi possunt.
2. Quod patrem concernit, ei olim tertia earum rerum pars, quæ acquisitionem filii effugerent, quasi pro pretio Emancipationis debebat, quam si voluerat, potuit retinere. Quod tamen inhumanum Imperatori visum fuit, ut filius rerum suarum dominio defraudaretur; & quod honoris ei ex Emancipatione additum, dum sui effectus juris esset, hoc per rerum diminutionem decresceret. Ideoq; hoc correxit, statuens, ut parens pro tertiâ parte domini, quam retinere poterat, dimidiam, non domini rerum, sed ususfructus retineat, uti ipse loquitur in *§. hoc quoq; 2. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. l. si viva 3. vers. cum vero & c. C. de bon. matern. l. cum oportet 6. §. penult. C. de bon. quæ liber.* Et hoc intelligimus de bonis adventitiis, non vero profectitiis. *d. l. cum oportet 6. §. 1. Inst. per quas pers. cuiq; acquir.* Neq; etiam de bonis castrensibus, vel quasi, quæ filiusfam., etiam existens in potestate patris acquisivit, pleno jure sibi acquisivit, *d. l. cum oportet. §. cum autem. 3.* Quod de jure etiam Saxonico ferme ita se habet, excepto eo, quod pater in bonis maternis, aliisq; adventitiis, indistinctè ususfructum de jure Civili, donec vivat, retineat. *l. 1. l. ult. C. de bon. matern.* Jure vero Saxonico, patri eo usq; tantum conceditur, donec liberi ab ipso separentur, atq; discedant, *per text. in art. 11. l. 1. Landrecht. ibi: Hält ein Vater seine Kin-*



der in Vormundschaft / nach ihrer Mutter Tode / wenn sie sich darnach  
von ihm scheiden / er sol ihnen lassen und geben alles ihrer Mutter Guts  
&c. *Match. Coler. part. 1. decis. 41. num. 3. & seqq.* Idq; verum est,  
qualitercunq; illa separatio facta fuerit, sive per contractum à  
filia matrimonium, sive quod liberi seorsim incipiant negotiari,  
nec amplius de pane parentum vivant *Coler. d. l. num. 8.*

3. Eadem insuper patri in bonis emancipati tributa fuisse  
jura, quæ patrono in bonis liberti, patet ex §. *præterea. 6. vers.*  
& tunc ex edicto &c. *Instit. quib. mod. jus patr. potest. solv.* Illo  
excepto, quod uti pater familias; ita & emancipatus, liberam  
habeat bonorum suorum administrationem. *l. cum oportet. 6. §.*  
*penult. C. de bon. quæ liber. l. non usq; 2. ff. si quis à par. manum. sit.*  
*vid. Coll. Arg. l. 1. t. 7. num. 92. & ibi alleg. text.* Deinde, si fi-  
lius vitam cum morte mutet, tunc pater ex edicto Prætoris, li-  
cet ab emancipato non sit institutus, exemplo patroni ad hæ-  
reditatem vocatur. *§. ult. Inst. de legit. agn. success. nisi suos ha-*  
*beat filius: Idq; ex eo fuit, quod à patre beneficium quæren-*  
*dorum bonorum filius habuerit l. 1. pr. ff. si quis à parent. manum.*  
*sit. vid. Donell. l. 2. c. 27.* Hodie pater filio succedit jure, non  
patronatus, sed patrio, prout patet ex *Nov. 118. c. 2.* Præterea, si  
parens filium emancipat impuberem, legitimus ejus fit tutor *t. t.*  
*Inst. de legit. parent. tut.*

4. Refert quoq; ad effectus Emancipationis, Brederod. *in*  
*analysisi tit. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.* quod pater filio  
emancipato, teneatur aliquam pecuniæ partem præbere, quo  
ea ipsa novam familiam eo felicius instituere possit, quæ tamen  
pecunia postea in collationem veniat, ad modum *l. ult. C. de col-*  
*lat. vid. l. Prætor 3. §. Emancipati 3. ff. de collat.*

5. Respectu ad filium habito, procul dubio inter illos effe-  
ctus primas obtinet, quod filius familias sui juris efficiatur, pa-  
rentisq; exuat imperium, indeq; de bonis suis liberrimam  
disponendi potestatem nanciscatur *l. non usq; 2. ff. si à parent.*  
*quis manum. sit. l. cum oportet 6. §. pen. C. de bon. quæ liber. uti*  
*hoc ex traditâ elici potest definitione, & ita quidem, ut jugum*  
illud



illud reperere nullo modo teneatur, sed semper maneat liber.  
*l. fin. ff. de his qui sui sunt vel alien. jur. l. post mortem. 25. pr. & l. ad-  
optare. 37. §. 1. ff. de adopt.* Id quod ex eo fluere videtur, quod se-  
mel alicui jure quaesitum, ei invito non possit auferri *arg. l. ult. ff.  
de pact.* Perdit tamen nonnunquam officium suum hac regula,  
ut puta si liberi post Emancipationem forsitan erga parentes in-  
grati existant, aut insigni contumelia eos afficiant, *teste l. un. C.  
de ingrat. liber.* (ubi bene notat *Godfr. in Comment. suo ad d. l.*  
non intelligendam venire quamvis injuriam, sed tantum enor-  
mem, & atrocem; eadem planè ratione, quemadmodum & do-  
nationes, non quavis, sed prægnanter demum de causa, & ob  
injurias gravissimas, possunt revocari *l. ult. C. de revoc. donat.*)  
Atque hoc est, quod *in l. qui liberatus 12. ff. de adopt.* dicitur; Eum  
qui liberatus est à patriâ potestate, in illam honestè reverti non  
posse, nisi adoptione: si verò ob atrox delictum in parentem  
commisum, libertas antea concessa revocatur, tunc fit illud  
inhonestè, cum ex ingratitude proficiscatur: cujus, quam  
inhonestum & obscœnum sit vitium, ipsa sana ratio nos docuit  
abundè.

6. Filius insuper nihil amplius acquirit patri, sed omnia  
sibi *arg. pr. Instit. per quas pers. cuiq; acq. l. cum oportet. 6. §. cum  
autem 3. C. de bon. qua liber. l. 1. ff. si quis à parent. manum. sit.* non  
tantum quoad proprietatem, sed etiam quoad usumfructum,  
& sic pleno jure. Inde de bonis suis liberi emancipati, & à pa-  
tre separati, possunt testari *Joh. Dauth. in tract. de testam. tit. qui  
testam. fac. poss. num. 159.*

7. Præterea etiam inter filium & patrem, post Emanci-  
pationem, contractus v. g. emptiones & venditiones, nec non  
alii, possunt celebrari. *l. si emancipatis. 17. C. de donat. l. si pater.  
2. C. de inoffic. donat.* tunc enim pro extraneo filius habetur. *l. si  
genero. 26. C. de jure dot. & ibi Godofr. in not. §. cæteri. 3. in pr. In-  
stit. de hered. qualit. & differ.* Ideo etiam contra parentem, libe-  
ris emancipatis, judicio experiri licet, quod alias, si sub ejus ef-  
sent potestate, facere non possent. *l. his nulla 4. ff. de judic. ubi*

*Bart.*



*Bart. Gl. Landrecht l. 1. Art. 13. num. 3. vers. zum dritten mag ein Kind  
&c. ibiq; alleg.*

8. Liberos quoq; ex senatos, filius emancipatus, in potestate sua habet §. penult. *Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. l. si furioso 16. §. potuit. 2. ff. de curat. furios.* Atq; adeo neq; is, quem emancipatus adoptavit, nepos emancipantis erit, *l. quem filius. 26. ff. de adopt.*

9. Quando autem locis tantum non infinitis in jure asseritur, uti e. g. in §. emancipatos 3. *Inst. de exhered. liber.* & §. emancipati autem 9. *Inst. de heredit. quæ ab intest. deser.* &c. fit, filios emancipatos, perdere per Emancipationem jus suorum heredum, ac propterea opus non esse, ut instituantur, aut nominatim exheredentur, & quæ forte similia sunt, de jure saltem antiquo ita sese habent; & novo, velut minus æqua, correctæ ab Imperatore videmus, in *Nov. 118.* ita quidem, ut parentes & liberi, licet emancipati *per d. Nov. c. 4.* sine ulla differentia ab intestato sibi invicem succedant, parensq; ad minimum in legitimam instituire teneatur filium *Nov. 115. c. 3.*

10. Quid de obligationibus, ex delicto provenientius sit statuendum, an per Emancipationem extingvantur, adhuc quæstionis est? Et negatur *per l. sed si 4. §. quanquam 2. ff. quodcum eo qui in ali. potest. est. &c. & arg. l. pertinet 2. ff. de capit. minut.* Noxa enim caput sequitur *arg. §. sed servus. 6. Inst. de noxal. action.* *Connan. l. 2. c. 9. num. 28.*

## T H E S I S X.

### ET ULT.

## De hodierno Emancipationis usu.

I. Superest adhuc dispiciamus, an hodie etiam quoddam Emancipationis vestigium deprehendere liceat: Ibi omnia circumspicientibus, nullum sese aliud nobis offert, quam separatio  
à patre



à patre, quæ imaginem quandam Emancipationis præ se ferre,  
exemptionemque à patria potestate inducere videtur. *Const.  
Elect. part. 2. Const. 10. ubi Daniel Moller. num. 4.*

2. Dupliciter autem illa contingere potest: 1. Si liberi am-  
plius cum patre commorari nolunt, (ubi tamen requiritur, ut  
sint majorenes. *d. Const. 10. ibi: Do sich Kinder / so zu ihrem  
mündigen Jahren kommen / von dem Vater / mit Anstellung  
ihrer eigenen Haushaltung / und Nahrung / scheiden / daß also  
denn / solches für eine Emancipation zu achten / und derselben  
Wirkung haben sol / ob gleich solche Emancipation anderer  
gestalt / und nicht für Gerichte geschehen / zc. uti fit, si propriam,  
& à patre separatam instituunt Oeconomiam, dictis verbis. vid.  
in d. Const. Magnif. Dn. Carpz. def. 1. & ibi laud. Item Dn. Frantzke  
ad l. Gallus. de liber. & posth. Disput. 1. num. 12. & seqq. Anton. He-  
ring. de Fidejuss. c. 7. num. 625. Ludov. Fachsius. differ. Saxon. 8. Benst.  
in l. 1. n. 126. ff. de jurejurand. Pari modo, si separatam negotiatio-  
nem habeant liberi, exeunt à patris potestate. *Const. Elect. Au-  
gusti. 10. part. 2. & ibi supra laud. Dn. Carpz. def. 1.* Huic Arist.  
quoque suffragatur, dum aliquo in loco dicit; liberos esse partem  
patris, usque dum ad virilem perveniant ætatem, & à patre se-  
parentur.*

3. 2. Illa separatio per matrimonium contingit; ubi viden-  
dum, an hoc tam in filiis, quam in filiabus procedat: Jure Civi-  
li quidem, nec filius. *l. si cum dotem 22. §. penult. ff. solut. matrim.  
l. inter liberos. 6. §. filiusfam. 2. ff. ad l. Jul. de adult. & arg. §. pen-  
ult. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. Nec filia. l. soluto matrimo-  
nio 2. §. 1. inf. l. quotiens. 29. pr. ff. solut. matrim. l. 1. §. ult. de  
liber. exhib. l. 1. §. ult. de injur. matrimonio liberantur à patriâ  
potestate. Neque filius, jure Saxonico, solis liberatur nuptiis,  
cum nullibi id dispositum reperire liceat: Saxonici etiam Ju-  
ris Interpretes de filia in specie, semper loquuntur. *Schneidov. in  
§. ult. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. num. 8. Andr. Rauchb.  
p. 2. quest. 18. num. 24. Frantzke. ad d. l. num. 15. & seq. Dn. Carpz.  
d. l.**

C



d. loc. def. 3. *Wesemb. in parat. ff. de his qui sui sunt vel alien. jur. num. 3.* Filia verò, cum statim post celebratas nuptias in tutelam atq; curam viri transeat, incongruens visum fuit, aliquam patrio imperio, & simul alterius curatela subesse, *Gl. Lat. ad text. German. Landrecht libr. 1. art. 11. lit. 6.* Ideo statim post nuptias patriam deserit potestatem. *Landrecht libr. 1. Art. 3. Wesembec. d. l. Dn. Carpzov. d. loc. def. 2. & 3. ibiq; alleg.* Inde etiam foeminae, suarum familiarum, & capita, & fines esse dicuntur. *in l. pronuntiatio. 195. §. f. ff. de V. S.* Hæc autem ratio, cum in filiis cesset, ideo frustra nobis oppones. *l. maximum vitium 4. C. de liberis preterit. disparitatemq; juris in filiis ac filiabus hæc in re miraberis.* Imò post mortem mariti etiam sui juris remanet. *Coler. decis. Germ. p. 2. decis. 222. & ibi Bensold. in addit. Hieronymus. Schurff. centur. 1. conf. 80. num. 3. & cent. 2. conf. 20. num. 19. vid. Schneidov. Comm. ad §. sed etsi pater. 8. tit. J. quib. mod. jus patr. potest. solv.* Jus enim patriæ potestatis semel extinctum, reviviscere nequit, *arg. l. Mevius 66. §. 1. ff. de legat. 2. l. qui res 98. §. aream 8. ff. de solution. licet adhuc filia ædibus, mensaq;ve patris fruatur: Ita enim Landrecht libr. 1. art. 31. Sie sondern sich mit der Kost/oder nicht. Berlich. part. 2. Concl. 11. num. 44. Coler. conf. 3. n. 7. Dn. Carpz. d. def. 2.*

4. Hæc etiam apud Gallos partim observari, recenset *Godofr. in not. ad l. non nudo 3. C. de emanc. liber.* quod & negotiatione scil., & matrimonio liberi emancipentur, quanquam ibi etiam ad filios hoc posterius extendatur. Apud alios quoq; populos Emancipationem in usu esse, *Ludov. in Comm. ad tit. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv. ex Auctor. refert.*

5. Quibuscunq;ve verò modis aliquis patrium exuat imperium, nihilominus tamen honorem, & obsequium, ad urnam usq; parentibus deberi, neminem tam vecordem esse, ut, ( utpote divino & humano juri consentaneum ) inficias eat, nobis firmiter persuasum habemus.

S O L I D E O G L O R I A.

Corol-



## Corollaria.

I.

Fidejussor, qui in majorem summam se obligavit, quam debetur Debitor principalis, tenetur saltem usque ad summam debitam.

II.

Apud Legatum Proconsulis potest manumitti.

III.

Contractus Principum non sunt leges.

IV.

Privilegia per non usum decennio amittuntur.

V.

Citatus zu rechter früber Tage-Zeit/post meridiem veniens, poena contumaciæ affici nequit.

VI. Pe-



V I.

Pecunia numerata rectè corporalibus  
rebus annumeratur.

V II.

Princeps habet dominium in bonis sub-  
ditorum.





94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle 3  
002 381 974



56.

V. 17





**A**spiranti caritate et ceperunt loqui in  
hominum dicit deo alleluia. Finis





27

I. N. J.  
**EMANCIPATIO-**  
**NEM LIBERORUM,**

Consensu Magnifici atqve Nobilissimi Jctorum,  
Ordinis in Illustri Academia Patriâ,

SUB PRÆSIDIO PARENTIS

**FRANCISCI ROMANI,**

J. U. D. & P. P.

Publico Eruditorum subjiciet  
exami

*d. 4. Novembr. Anni currentis 1658.*  
*loco horisq; solitis,*

**PAULUS FRANCISCUS ROMANUS,**  
A. & R.

LIPSIÆ, *Mons. Eschel.*  
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.